PRAELECTIONES

IN

VNIVERSITATE DOCTRINARVM

CAESAREA VILNENSI

A KALENDIS SEPTEMBRIS ANNI MDCCCIX
AD PRIDIE KAL. IVLII ANNI MDCCCX.

HABENDAE

INDICVNTVR

A

RECTORE ET SENATV ACADEMICO.

VILNAE,
TYPIS IOSEPHI ZAWADZKI
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

I.

PRAELECTIONES PHYSICORUM ET MATHEMATICORUM.

STEPHANVS STVBIELEWICZ, Phil. D. Physices Prof. P. O. diebus Lunae, Mercurii, Iovis et Saturni, ab hora IX. ad XImae dimidium, cursum Physicae specialis explicaturus, praemissis notionibus generalibus de attractione corporum, moleculari dicta, seu de attractione in minimis distantiis, statim perget expositionem doctrinae de Calorico: qua absoluta, sequentur tractatus de aqua, aëre, electricitate et magnetismo; tum ultimo loco gravissima et maximi momenti doctrina de Luce, quam per singulas eius partes accurate exponendo Physices annuum hunc cursum conficiet.

ANDREAS SNIADECKI, Phil. et Medic. D. Collegior. a Consil. Chemiae Prof. P. O. principia Chemiae universae ad Elementa a se edita et nuper recognita novisque aucta observationibus, in Laboratorio Chemico exponet, experimentisque illustrabit diebus Lunae, Martis, Iovis et Ven. ab horae XImae dimidio ad XII.

B. STANISLAUS JUNDZIŁŁ, Phil. et Theol. D. Botanices et Zoologiae Prof. P. O. primo tradet Zoologiam universam. Expositis nempe generatim de natura animalium notionibus, institutaque solita divisione in classes et ordines, iuxta recentissimas observationes, genera omnia et species singulatim lustrabit, earumque patriam, mores, usus etc. indicabit. Peracto cursu hoc ad Botanicam transibit, ac, praemissa brevi disciplinae huius historia, 1) ad Elementa a se edita exponet Physiologiam vegetabilium; 2) Terminologiam botanicam universalem; 3) instituet criticam variorum systematum analysin, methodum Linneanam prae ceteris scrutaturus; 4) denique ad plantarum, iuxta methodum sexualem, indicationem practicam perget, cum Horti Botanici copiis instructus, tum excursiones, quas dicunt, Botanicas cum auditoribus suis facturus; diebus Lun. Mart. Iov. et Ven. ab hora II. ad IVtae dimidium.

FRANCISCUS NARWOYSZ, Phil. et Theol. D. Matheseos sublimioris purae Prof. P. O. Newtoni de qua-

dratura curvarum tractatum explicabit diebus Lun. Mart. Iov. et Ven. ab hora IX. ad XImae dimidium.

MICHAEL SZVLC, Phil. D. Architecturae civilis et militaris Prof. P. O. diebus Lun. Mart. Merc. et Iov. ab horae VIIIvae matut. dimidio ad IX. Architecturam civilem et militarem docebit.

THOMAS ZYCKI, Phil. D. Matheseos Prof. P. O. diebus Lun. Marc. Ven. et Saturni ab horae VIIIvae matut. dimidio ad IX. primo exponet Algebram, ubi de Functionibus multiformibus, Aequationibus altiorum graduum, Seriebus recurrentibus, Fractionibus continuis et de Functionibus transcendentibus aget. Deinde tradet Geometriam sublimiorem, ubi proprietates linearum curvarum secundi ordinis, earum species tam finitarum quam infinitarum, sectiones curvarum per lineas rectas vel per alias curvas, Superficies corporum per aequationes indeterminatas inter tres mutabiles quantitates, tum proprietates linearum curvarum transcendentium et earum notabiliores species explicabuntur. Denique in Auditorum novorum gratiam Geometriam Euclideam enarrabit; Algebram vero et Geometriam sublimiorem duce Ioannis Sniadecki libro qui inscriptus est: Calculi Algebraici Theoria ad lineas curvas applicata.

ZACHARIAS NIEMCZEWSKI, Phil. D. Matheseos, sublimioris applicatae Prof. P. Extraord. diebus Mart. Iov. et Saturni ab horae VIIIvae dimidio ad IX. tradet Calculum differentialem et integralem, eiusque praecipuum usum in inveniendis maximis et minimis quantitatibus, investigandis proprietatibus linearum omnium ordinum, et in quadratura Curvarum demonstrabit.

IGNATIVS RESZKA, Phil. D. Astronomiae Prof. P. O. cursum Astronomiae theoreticae et practicae instituet diebus horisque designandis, cum primum per valetudinem, qua nunc infirma utitur, licebit. Interea vices Eius in doctrina hac tradenda explebit: CAESARIUS KAMIENSKI, Phil. D. Universitatis Adiunctus, qui Trigonometriae sphaericae expositis principiis ac formulis, ordietur cursum Astronomiae, in quo 1) duce Ioannis Sniadecki libro, notionem Sphaerae caelestis eiusque circulorum ex phaenomenis motus diurni et annui telluris depromptam, usum Trigonometriae sphaericae in calculandis positionibus astrorum, observandi artem, instrumentorumque astronomicorum constructionem, denique refractionis, parallaxeos et aberrationis phaenomena explicabit. 2) Systema mundi, theoriam Planetarum primariorum et secundariorum exponet. 3) doctrinam Eclipsium Solis, Lunae, aliorumque Satellitum, nec non occultationis astrorum per Lunam, earumque calculum tractabit; diebus Lun. Merc. et Ven. hora VIII. matut. ad IX.

ROMANVS SYMONOWICZ, Phil. et Medic. D. Vnivers. Adiunctus, Solis die hora II. ad IV. pomerid. diebus autem Merc. et Sat. ab horae IIItiae dimidio ad IV. pom. lectiones Mineralogicas instituet.

MICHAEL KADO, Phil. D. Vnivers. Adiunctus, diebus Mart. Iov. et Sat. ab horae XImae dimidio ad XII. Topographiam tradet, methodumque delineandarum positionum Geometricarum ad usus civiles oeconomicos et militares accommodatam exponet.

II.

PRAELECTIONES MEDICORVM.

FERDINANDVS SZPITZNAGEL, Phil. et Medic. D. Ordinis Medicorum Decanus, Therapiae generalis, Materiae Medicae et Toxicologiae Prof. P. O. diebus Lun. Mart. Iov. et Ven. ab horae VIIIvae matut. dimidio usque ad IX. primo generalem Therapiam ita docebit, ut generales formulas medicas conscribendi regulae naturali ordine subsequi possint. His absolutis tradet Materiam medicam specialem, seorsum enumeraturus et diiudicaturus quaelibet usitata corpora medica, tam simplicia cruda, quam praeparata, tum etiam composita quae in potissimis Europae dispensatoriis prostant; praecipue vero ea inculcabit, quae in Pharmacopoeis Rossicis legibus praescripta asservantur. In Toxicologia venenorum noxam et curam, eorumque, si quis est, usum medicum exponet.

IOANNES ANDREAS LOBENWEIN, Medic. et Chir. D. Collegior. a Consil. Anatomiae et Medicinae forensis Prof. P. O. Anatomiam humanam docebit diebus Mart. et Ven. ab hora IX matut. ad XImae dimidium, diebus autem Merc. et Saturni ab XInae dimidio ad XII. Medicinam forensem Merc. et Sat. diebus hora III-IV pomerid. exponet. Vtramque scientiam ad sua dictata pertractaturus, tironibus in re anatomica Cel. Hildebrandii opus, in Medicina forensi autem Metzgeri illud commendat.

Repetitiones anatomicas Prosector Anatomiae, Gabriel Holtz, diebus Lun. Mart. et Iovis ab horae IIItiae pomerid. dimidio ad IVae dimidium instituet. Idem, diebus Lun. Mart. Iov. et Veneris, tironum studia in exercendis dissectionibus anatomicis moderabitur hora IV-VI vespert.

AVGVSTVS BECV, Phil. et Medic. D. a Consil. aul. Pathologiae, Hygienae et Politiae Medicae Prof. P. O. diebus Lun. Merc. Iov. et Saturni a hora IX usque ad XImae dimidium docebit Pathologiam generalem et spe-

cialem, sua Elementa secuturus. Mensibus autem aestivis, praemissa Anatomia et Physiologia populari, Hygienam et Politiam Medicam auditoribus exponet.

IOSEPHVS FRANK, Phil. et Medic. D. Therapiae specialis et Clinices Prof. P. O. quotidie, nec Solis die excepto, ab horae IX^{nae} dimidio ad XI^{mae} dimidium in Nosocomio Clinico doctrinam Medicam curandis morbis adaptabit, tradetque ad Elementa sua Praxeos Medicae, propediem typis vulganda, eam Therapiae spec. partem, quae ad morbos pulmonum, oris, oesophagi, ventriculi, intestinorum, viscerum abdominalium, viarum urinalium et sexus, Venereos etiam, spectat. Neque deerit clinicis occupationibus, in Nosocomio hora V-VI vespert. observandis. Praeterea aegrotantibus urbis huius egenis, coram discipulis, consilia et medicamenta, quorum pretium ex Societatis Beneficentiae arca solvitur, suppeditabit.

IACOBVS BRIOTET, Med. et Chir. D. Collegior. a Consil. Chirurgiae Practicae Prof. P. O. diebus Lun. Mart. Iov. et Ven. ab horae III^{tiae} dimidio ad IV. doctrinam de Morbis externis, dextram Chirurgi manum artemque postulantibus, enarrabit, et operationes chirurgicas in cadaveribus coram auditoribus instituet. Provectioribus autem in arte Chirurgica auctor erit, ut, se duce testeque, nonnullas operationes, tam in Nosocomio Chirurgico, quam in aliis Hospitiis urbanis, ipsi perficiant.

ANDREAS MATVSZEWICZ, Phil. et Medic. D. Artis obstetriciae Prof. P. O. eiusdem artis cursum theoretico-practicum peraget, diebus Martis et Veneris ab hora IX usque ad XI^{mae} dimidium, coram feminis, obstetricibus; diebus Merc. autem et Saturni ab horae VIII^{vae} dimidio ad IX coram viris.

LVDOVICVS HENRICVS BOIANVS, Med. et Chir. D. Veterinariae Medicinae Prof. P. O. diebus Lun. Mart. Merc. Iov. et Ven. ab horae XI^{mae} dimidio ad XII. de singulis animalium domesticorum morbis cognoscendis atque curandis exponet doctrinam, medicinae hominis praecepta, ubicunque e re fuerit, in auxilium atque usum vertendo.

IOANNES FRIDERICVS NISZKOWSKI, Med. et Chir. D., Chirurgiae theoreticae Prof. P. Extraord. diebus Mart. Iov. et Ven. ab hora IV ad VI^{tae} dimidium post merid. explicabit cursum Chirurgiae theoreticae et partem Chirurgiae practicae, quae morbos Ossium complectitur, subiuncturus simul doctrinam de applicatione fasciarum et Machinarum quae fracturis et luxationibus sanandis inserviunt, in iisque omnibus tironum manus exerciturus.

IOANNES WOLFGANG, Phil. D. Vniversit. Adiunctus, cursum Pharmacologiae et Pharmaciae instituet diebu Merc. et Saturnis ab hora II pomerid. ad IV^tae dimidium.

III.

PRAELECTIONES IN ORDINE PROFESSORVM DOCTRINARVM MORALIVM ET POLITICARVM.

IOANNES HENRICVS ABICHT, Phil. D. Logices ac Metaphysices Prof. P. O., exponet 1) Criticam mentis, h. e. limitum in rebus per se et vere noscendis, ideoque etiam primarum veritatum, doctrinam. 2) Metaphysicam i. e. familiam doctrinarum quatuor, scil: Ontologiae, quae ens, mundi elementum, demonstrat; Cosmologiae seu Philosophiae Vniversi; Psychologiae, quae rationalis dicitur et humanae animae aeterna ostendit, ac Theologiae naturalis. 3) Logicam, vel disciplinam artis veritatem investigandi, cum exercitationibus logicis coniunctam. In his doctrinis sexies per hebdomadem ab hora IV-V. tradendis Breviarium suum latine conscriptum, et ad perscribendum paratum, sequetur.

SIMON MALEWSKI, Phil. et Iur. Civ. D. Collegior. a Consil. et Vniversitatis a Secretis, Iuris naturae et Gentium Prof. P. O. docebit Ius naturale politicum et Ius naturale gentium, diebus Mart. Iov. et Satur. ab horae matutinae VIII^vae dimidio ad IX., duce Hieronymi Stroynowski libro. Idem principia Oeconomiae politicae Adami Smith diebus Merc. et Vener. hora VIII-IX. explanabit.

ALOYSIVS CAPPELLI, Phil. et I. V. D. Iuris Civilis et poenalis Veterum et Recentiorum celebriorum Gentium Prof. P. O. diebus Lun. Mart. et Merc. hora XI-XII., praemissis de universali Legumlatione principiis, exponet Iuris civilis Theoremata, eaque exemplis ex Codicibus diversarum Gentium, potissimum vero ex celeberrimo Napoleonis Codice petitis firmabit. Diebus autem Ven. et Satur. ab horae XI^mae dimidio ad XII. Institutiones Iuris poenalis tradet, duce Meistero.

PHILIPPVS NERIVS GOLANSKI, Theol. D. S^crae Scripturae Prof. P. O. diebus Mar. Merc. et Iovis ab horae XI^mae dimidio ad XII. Sacrae Scripturae praelectiones, non a Veteri, sed a Novo Testamento, e re novorum auditorum suorum, exordietur. Sed antequam ad Novum

Testamentum sive eius expositionem aggredietur, operae pretium erit initio ea, quae in libris de Doctrina Christiana nuper a se editis continentur, cum auditoribus suis perpendere.

AVGVSTINVS TOMASZEWSKI, Theol. et Phil. D. Theologiae Dogmaticae et Historiae Ecclesiasticae Prof. P. O. utriusque scientiae cursum triennio conficiendum hoc anno aperiet. Theologiam tradet diebus Lunae et Mercurii ab hora IX. ad XI^{mae} dimidium, expositurus Melchioris Cani tractatum de locis Theologicis; Honorati Tournely de Ecclesia; Petri Ballerini de Romano pontifice. Historiae Ecclesiasticae sex priora secula enarrabit diebus Ven. et Saturni eadem hora, methodo et ordine, quem secutus est in suo opere Natalis Alexander.

IOANNES CANTIVS CHODANI, Theol. D. Theologiae moralis Prof. P. Extraord. diebus Lun. Mart. Merc. et Iovis hora VIII-IX. aget de officiis hominis Christiani ad Deum relatis, cum internis, quae sunt fides, spes, caritas, et reliquae inde derivatae virtutes; tum externis, seu de cultu Dei externo tam in genere, quam in specie, de laude et reverentia erga Deum, de sacris conventibus, de sanctificatione dierum Dominicorum, de oratione, iureiurando, confessione ac zelo Religionis. — Dein explicabit officia Christiani ad se ipsum relata, tum interna, quae sunt ordinatus amor sui ipsius, dignitatis propriae cognitio, sancta animi elatio, verae ac Christianae humanitati sociata, abnegatio sui ipsius: tum externa, quae animae et corporis, ac bonorum temporalium cura comprehenduntur. — Idem diebus Ven. et Sat. hora eadem, exposito Theologiae Pastoralis argumento, fontibus ac historia, de munere docendi virtutem et religionem, animarum Pastori proprio, generatim aget: in specie autem de arte catechizandi seu prima publice docendi muneris parte, ubique Theoriam et regulas cum praxi prudenti copulaturus.

SEBASTIANVS ZVKOWSKI, Theol. M. Seminarii Theologici alumnis linguae Hebraicae praecepta ad Elementa sermone vernaculo a se conscripta et typis exarata tradet, hisque Introductionem generalem in libros sacros Vet. Foederis, duce Iahnio, Prof. Vindob., subiunget, diebus horisque designandis.

IV.

PRAELECTIONES IN ORDINE PROFESSORVM LITTERATVRAE ET ARTIVM ELEGANTIORVM.

GODOFREDVS ERNESTVS GRODDECK, Phil. D. Ordinis huius Decanus, Linguae et Litterarum Graecar. Prof. P.O. quater per hebdom. hora XI-XII. 1) binas Sophoclis fabulas, Philocteten et Trachinias, suis curis Vilnae nuper editas; 2) Lysiae Orationem funebrem et Demosthenis orationem de Pace, ex Iacobsii V.CL. Attica, interpretabitur. Bis autem, Mercurii et Saturni diebus, hora eadem, duce Füllebornio, Encyclopaediam Philologicam sive Introductionem in litterarum antiquarum studia tradet, cuius partes habentur Grammatica, Critica; Hermeneutica sive ars interpretationis, Historia antiqua civilis cum Geographia et Chronologia, Antiquitatis notitia sive status Athenarum Romaeque descriptio, Mythologia et Historia litterarum atque artis antiquae.

IDEM Horatii Sermones et Epistolas cum Arte poëtica quae vulgo dicitur, et Ciceronis Oratorem, typis Vilnensibus propediem repetendum, enarrabit sexies per hebdom. hora II-III pomerid. et Auditorum, imprimis Seminarii Paedagogici Sodalium, cum in accurata Virgilii Aeneidis libri sexti et Taciti Annalium interpretatione, tum in scriptionibus latinis, exercitationes moderabitur.

IOANNES CZERNIAWSKI, Phil. D. Linguae et Litterar. Rossicarum Prof. P.O. diebus Mart. et Iovis ab horae IV^tae^ dimidio ad V., Lunae autem, Merc. et Ven. diebus, hora IV-V. de litterarum et artium in imperio Rossico originibus et incrementis disseret, linguae Rossicae praecepta tradet ac lectionem scriptorum quorundam prosaicorum et Cherascovii poematis, Wladimirus inscripti, instituet.

PHILIPPVS GOLANSKI, Theol. D. Scripturae et Eloqu. Sacrae Prof. P.O. diebus Ven. et Satur. hora X-XI. eloquentiae sacrae naturam et indolem declarabit, praecepta tradet exemplis firmata, et exercitationes practicas Auditorum diriget.

ALOYSIVS CAPPELLI, Iur. V. D. et Prof. P.O. diebus Lun. Merc. et Ven. hora V-VI pomer. Linguae Etruscae praecepta enarrabit ac de Italicae poëseos natura et indole, deque celebrioribus scriptoribus Italicis, qui aut in soluta oratione, aut in poësi inclaruerunt, scitu digniora commemorabit.

ANDREAS LE BRVN, Sculpturae Prof. P. Extraord. artis huius praecepta tradet, exemplisque propositis idoneis studiosorum conamina in effingendis efformandisque artis sculpendi operibus moderabitur, diebus Lun. Merc. et Ven. ab horae XI^{mae} dimidio ad XII.

JOANNES RVSTIM, Vniversit. Adiunctus, artem delineandi docebit diebus Mart. Iov. et Sat. ab hora II ad IV^{tae} dimidium.

SEBASTIANVS ZVKOWSKI, Theol. M. Vnivers. Adiunctus, diebus Mart. Iov. et Satur. hora III-IV pomer. cum Grammatices Graeci sermonis expositione coniunget interpretationem Chrestomathiae Graecae, utriusque typis Vilnensibus a se vulgatae. His subiunget duorum Luciani dialogorum ex Cel. Wolfii editione explicationem.

Linguam Gallicam docebit IOANNES PINABEL, Vniv. Adiunctus, diebus Mart. Iov. et Satur. ab hora I. ad III^{tiae} dimidium.

Linguae Germanicae praecepta tradet BENIAMIN HAVSTEIN, Vnivers. Adiunctus, diebus Lun. Merc. et Ven. hora III ad V^{tae} dimidium.

Artem Musicam theoretice et practice tradet IOANNES DAVID HOLLAND ad Elementa sua vernaculo sermone vulgata, diebus Mart. Iov. et Sat. hora III-IV. p. m.

Artis Chalcographicae elementa docebit ISIDORVS WEISS, Chalcographus, tironumque in arte hac exercentium se studia reget diebus Lun. Merc. et Ven. hora IX-X matut.

Artes Gymnasticas, cum saltationis, tum rudibus vel pugnatoriis armis batuendi, publice docebunt harum artium Magistri diebus et horis designandis.

Bibliothecam Academicam aperient diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora III-V. GODOFR. ERN. GRODDECK, Bibliothecae Acad. Praefectus, et Custodes Bibliothecae Acad. STANISLAVS BAKOWSKI et SEBASTIAN ZVKOWSKI Vnivers. Adiuncti.